

**Dissertatio medica inauguralis de delirio tremente ... / eruditorum examini
subjicit Robertus J.N. Streeten.**

Contributors

Streeten, Robert James Nicholl, 1800-1849.
Woodforde, James
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Edinburgi : Excudebat P. Neill, 1824.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/hbxexzh8>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>





(3.)

Nº 3

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

DELIRIO TREMENTE.

DISSERTATIO MEDICA

IN AUGURATIS

DE

DELIRIO TREMENTE;

QUAM

DISSENTIENS

ET AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI

D. GEORGH BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIE EDINBURGENSIS PRAELECTI;

NECNON

APPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO;

Pro Doctoris

ROBERTUS J. N. STREPTEN

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

ROBERTUS J. N. STREPTEN

Aggus

SOCIETY REG. MED. SOC. EDINBURGH

IV. NONAS AUGUSTI, HORA LOCOQUE SOLITIS.

— If thou well observe
The rule of "Not too much," by temperance taught,
In what thou eat'st and drink'st, seeking from thence
The nourishment, not glutinous delight,
Till many years over thy head return—
So may'st thou live, till, like ripe fruit, thou drop
Into thy mother's lap, or be with ease
Gather'd, not harshly pluck'd, in death mature.
Milton.

EDINBURGI:

EXCUBENT P. NEILL

MCCCXXIV

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
DELIRIO TREMENTE;

QUAM,
ANNUENTE SUMMO NUMINE,
EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,
D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.
ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON
AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET
NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT
ROBERTUS J. N. STREETEN,
Anglus,
SOCIET. REG. MED. SOC. EXTRAORD.

IV. NONAS AUGUSTI, HORA LOCOQUE SOLITIS.

— If thou well observe
The rule of "Not too much," by temperance taught,
In what thou eat'st and drink'st, seeking from thence
Due nourishment, not gluttonous delight,
Till many years over thy head return,—
So may'st thou live, till, like ripe fruit, thou drop
Into thy mother's lap, or be with ease
Gather'd, not harshly pluck'd, in death mature. MILTON.

EDINBURGI:
EXCUDEBAT P. NEILL.

MCCCCXIV.

ROBERTO GRAHAM, M.D. S.R.E.S.

BOTANICES IN ACAD. EDIN. PROFESSORI,

HOC TENTAMEN,

ANIMI OB PLURIMA ACCEPTA

BENEFICIA GRATISSIME

ROBERTO PIENUS TENUE

D. D. D. D.

ROBERTUS J. N. STREETEN

EDINBURGI

SPECTATISSIMO VIRO,

ROBERTO GRAHAM, M.D. S.R.E.S.

BOTANICES IN ACAD. EDIN. PROFESSORI,

&c. &c. &c.

HOC TENTAMEN,

ANIMI OB PLURIMA ACCEPTA

BENEFICIA GRATISSIME

PIGNUS TENUE,

D. D. D.QUE

ROBERTUS J. N. STREETEN.

PATRI SUO CARISSIMO ATQUE OPTIMO
SPECTANDO VRO

JOANNI MITCHELL STREETEN
ROBERTO GILLIAM, M.D.

ARMIGERO
BOTANICES IN ACAD. EDIN. PROFESSORI

HAS PRIMITIAS

PECUNIAE TITATIS AMORISQUE

ANIMI QUAE IN VESTRA

INSTITUTIONE GRATISSIME

CONSECRAVIT

PIETAS TUA

EDINBURGH

1782

ROBERTUS J. N. STURTEVANT

PATRI SUO CARISSIMO ATQUE OPTIMO,

JOANNI MITCHELL STREETEN,

ARMIGERO,

HAS PRIMITIAS,

SUMMÆ PIETATIS AMORISQUE

TESTIMONIUM,

CONSECRAT

F I L I U S.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE DELIRIO TREMENTE

HISTORIA huius morbi satis simplex est. Vix
ulla eius vestigia in veteribus scriptoribus * de-
prehendere potui, atque, uti mihi videtur, Dr
Sutton enim primus in notitiam evocavit. Ab
inflammatione cerebri olim non satis distinctus
fuit; et revera (ut inquit Sutton) ex effectibus

* Est exemplum unum in operibus Hippocratis quod
fortasse ad hunc morbum referri potest. Licet autem de
hac re dubitare, itaque ad finem inter exempla hoc unum
collocavi. Fortasse de hoc morbo locutus est, ubi dixit.
Ex τρεμετικῆς ἥψας καὶ κενεσθῆναι, κενεῖν. Aph. vii. 7

To J. J. Woodford Esq
With the Compliments and best
wishes of the Author

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

DELIRIO TREMENTE.

HISTORIA hujus morbi satis simplex est. Vix ulla ejus vestigia in veteribus scriptoribus* deprehendere potui, atque, uti mihi videtur, Dr SUTTON eum primus in notitiam evocavit. Ab inflammatione cerebri olim non satis distinctus fuit; et revera (ut inquit SUTTON) ex effectibus

* Est exemplum unum in operibus HIPPOCRATIS quod fortasse ad hunc morbum referri potest. Licet autem de hac re dubitare, itaque ad finem inter exempla hoc unum collocavi. Fortasse de hoc morbo locutus est, ubi dixit,

Ἐκ πολυποσίης ῥίγος καὶ παραφροσύνης, κακόν. Aph. vii. 7.

diversis curationis utriusque morbi, discrimen primum manifestum factum est. Hæc diversitas quidem tanta fuit, ut ex eadem curatione, quæ in Phrenesi satis idonea est, in plerisque exemplis Delirii Trementis æger celeriter mortuus sit. Cum igitur res ita se habuit, quidam medici alium modum curandi commode instituerunt; atque ita duo morbi inter se a SUTTON tandem distincti sunt *. Postea et PEARSON † et ARMSTRONG ‡ eundem morbum descripsit, idemque nunc a plerisque medicis bene cognoscitur.

Hic morbus autem Delirium Tremens a SUTTON vocatus est, ex duobus indiciis quæ quidem fere semper eum comitantur; cum vero interdum unum ex his non urgeat §, nomen parum idoneum esse videtur. Igitur nuper “Delirium Ebriositatis” nominatus est ||; quod vix aut ne vix qui-

* SUTTON on Delirium Tremens, Peritonitis, &c. and Gout.

† Edin. Med. and Chirurg. Journal.

‡ ARMSTRONG on Typhus, &c.

§ “Three cases occurred in my practice, where it (the tremor) was wanting.”—ARMSTRONG on Typhus, &c. Ego quoque unum exemplum vidi in quo tremores nulli fuerunt.

|| Edin. Med. and Chirurg. Journ.—Oct. 1823.

dem melius nomen quam prius mihi apparet, non modo quia ex aliis quoque causis morbus accidere potest, verum etiam quia semper in ebrietate delirii plus minusve accedit. Cum autem nulla utilitas in nominibus multiplicandis sit, cumque posterius nomen nullo modo melius quam prius esse videatur, hoc accepi, quippe quod, si non optimum, at certe usitatissimum, optimeque cognitum sit.

In hoc argumento contemplando igitur, propositum est mihi in partes quinque idem distribuire; ita ut primum De Indiciis, iisque quæ adaperto corpore reperiuntur; deinde De Causis; postea De Ratione Dignoscendi; tum autem De Curatione; et denique De Prognosi, ordine dicam. His ad finem accedunt quædam exempla, quo sectiones duorum corporum quas vidi proponere possum.

DE INDICIIS.

DELIRIUM Tremens post magnas potationes vini aliorumve humorum ejusdem generis, maxi-

ma ex parte a signis febris incipit, sequiturque plerumque subitam mutationem in modo vivendi eorum, qui usui potionum ardentium nimium dediti sunt. Interdum morbi accessio admodum subita est, ita ut homo in valetudine satis prospera nocte fortasse decumbat, mane autem accedentis morbi signa se subito ostendant. At protinus inter initia languor et lassitudo cum mentis pigritia sæpe sunt; postea horrores parum distincti, pulsusque molles et inæquales, maxima tamen ex parte celeriores minoresque quam pro consuetudine. Calor sæpe adauctus est, in plerisque autem exemplis varius; cutis vero mollis humidaque, ita ut interdum magni sudores profluant. Functiones ventriculi multum perturbantur; lingua alba humidaque est; cibi fastidium, sæpeque nausea atque adeo vomitus ipse occurrunt. His accedunt dolores capitis pectorisque, oculi suffusi, pervigilium, et delirium. Hæc indicia primum tempus morbi formant, quod a biduo ad dies sex septemve plerumque consistit. In his autem rebus magna varietas est, quoniam modo a gravissimis signis morbus fere protinus incipit, modo primum tempus per

decem quindecimve dies vel etiam diutius protrahitur. Posteaquam vero per aliquod spatium hæc signa perstiterint, tempus secundum (quod gravissimum est) oritur; et nunc quidem morbus admodum periculosus fit. Pulsus valde celer exiguusque, fere tamen mollis, est; cutis certæ partes magnis sudoribus conteguntur; dolores et in capite et circa præcordia graves sunt, ex quibus posteriores, manu admota, vel pleno spiritu, multum adaugentur; pervigilium persistit, ita ut ab initio morbi æger nullum somnum habeat; agitationes et inquietudo, quæ antea parum notabiles fuerunt, nunc frequentiores magisque conspicuæ fiunt; tremores per totum corpus oriuntur, præsertim in extremis partibus, iidemque interdum ad subsultum tendinum ipsum procedunt. His accedit delirium peculiare, quod admodum notabile est: hoc autem diversis ægris, diversisque temporibus in eodem ægro, multum variat. Aliquando quidem homo præter consuetudinem hilaris est; sæpius vero vehementer tristis. Interdum se in multis negotiis, quæ, ut ille arbitratur, maximi momenti sunt, occupatum esse credit, omnesque ejus cogitationes ad hæc ita vertuntur,

ut siquid quæris de aliis rebus, vix respondeat, citoque ad priorem modum cogitandi revertat; sin autem de ipsis negotiis loqueris, facile et sponte responsum præbeat. Interdum vero animus hominis in rebus omnino diversis versatur; creditque sorices muresque, aut insecta aliasve bestiolas, aut formas horribiles, circa lectum vel in conclavi esse, quas captare assidue conatur; idque, ut mihi videtur, ex iis imaginibus, quæ apud nos musci volitantes appellantur, ante oculos volitantibus oriri potest. Aliquando sonos terribiles audit, vel audire se credit, hique fortasse ex aurium tinnitu oriuntur. Præter hæc autem scire oportet, quod aliquando alias imagines, aliosque sonos, omnino præter naturam videre et audire se putat; quæ omnia totis viribus suis evitare conatur. Et in plerisque exemplis quidem æger plus minusve terroribus afficitur; hique maxima ex parte sunt, vel de conditione rerum suarum, vel salutis, vel de animis erga se amicorum quos inimicos esse credit. Ex his autem timor de salute sua multo vulgatissimus est; et quidem metus conspirationis contra vitam suam fere semper hoc genus delirii comitatur; ita ut

in terrore agitationeque continua æger sit. Atque in delirio quidem res ita se habet. Quod vero ad tremores attinet; notandum est hos multum differre ab agitationibus ægri motibusque assiduïs, qui multum delirio afficiuntur; ita ut, cum homo in negotiis esse videtur, tum actio ejus ad illud negotium pertineat; cum vero terror eum movet, tum omnes motus ejus isto terrore excitentur.

Postquam igitur hæc indicia per spatium aliquod perstiterint, brevius longiusve, secundum remedia quæ adhibita fuerint, vehementiam morbi, habitum corporis ægri, iisque similia, aliquid mutationis vel ad sanitatem vel ad exitium fit. Itaque ubi morbus desinit in sanitatem, somnus quietus accedit, qui, quo citius in morbo venit, eo melius est, posteaque æger mente sana fere semper expergiscitur; et quamvis aliquando per vigiliam aliaque indicia mala iterum revertuntur, vires tamen morbi franguntur, maximaque ex parte æger ad prosperam valetudinem gradatim redit. Sin vero somnus non occurrit, indiciaque graviora fiunt, maximum periculum est, atque adeo signa pestifera cito se ostendunt. Tum ac-

cedunt, dilatatio pupillarum, pulsus indistinctus, atque ita celer ut vix numerari possit; hæc sequitur sopor, cum omnibus effusionis in cerebrum signis, celeriterque æger interimitur.

Atque ita Delirium Tremens maxima ex parte procedit, si modo nullus alius morbus hominem simul infestet. Non raro autem, alii affectus accedunt, qui indicia priora admodum mutant. Inflammatio propria aut congestio sæpe priori morbo conjungitur, atque in his exemplis, ratio dignoscendi magis obscura est, morbusque gravior magisque perniciosus esse videtur. Si quando hæ actiones propriæ graves sunt, jam dictis signis adduntur, dolor partis vitiatæ, difficultas spirandi, tussis, iisque similia, prout aut pectus, aut ventriculus, aut jecur, aut aliud organum afficitur. Signa morbi ipsius quoque multum mutantur, ea præsertim quæ ad circuitum sanguinis pertinent. Febris plus minusve inflammationis habet; pulsus non raro plenior duriorque fit; facies, quæ in simplici morbo maxima ex parte ex toto pallescit, nunc subinde rubescit; atque calor magis fixus est.

Complicatio autem quæ sæpissime occurrit, et

procul dubio est perniciosissima, Erysipelas est, cui morbo ebrii, ex modo vivendi, præsertim obnoxii sunt. In his quoque hominibus, Erysipelas gravius quam in aliis maxima ex parte se ostendit. Vix opus est dicere, morbum in talibus exemplis non raro mortiferum esse. Protinus ab initio, indicia adauctæ actionis quæ per totum corpus occurrunt, cum proclivitate ad inflammationem in cerebro ipso; et, morbo ad finem procedente, periculum gangrænæ, quod in tali habitu corporis semper urget; hæc omnia ostendunt morbum fere extra potestatem medicinæ esse, atque ita, quicumque modus curandi sit, Delirium Tremens cum Erysipelate plerumque hominem interimit.

Sectiones corporum eorum qui hoc morbo mortui sunt, ita paucæ sunt, ut vix aliquid de iis dicere possimus; ideoque rationes signorum curationisque consilia admodum obscura esse videntur. Scire tamen licet, ea quæ post mortem reperiuntur cum indiciis morbi satis bene convenire videri. Multum obstat Pathologicam Anatomiam (ut vocatur) hujus morbi, tam tenuem esse; cujus rei causa in paginis sequentibus duæ

sectiones narrantur. ARMSTRONG quidem dicit se sectiones hujus morbi duas vidisse; de iis autem parum loquitur, et revera solum inquit, congestiones sanguinis leves in cerebro jecinoreque repertas fuisse*. In exemplis quæ vidi, magnæ fuerunt congestiones in sinubus, et in vasis omnibus, præsertim in venis membranarum; in arteriis vero cerebri ipsius parum aut nihil congestionis fuit. Effusio quoque serosa in ventriculis subterque tunicam arachnoideam inventa est, sed nulla congestio in vasis jecinoris se ostendit†.

DE CAUSIS.

CAUSÆ hujus mali, secundum antiquum ordinem, commode dividi posse mihi videntur; in Prædisponentes scilicet (ut vocantur), Excitantesque, et Proximas. Ex his quidem duæ priores satis simplices sunt, tertia vero admodum obscura est.

* ARMSTRONG on Typhus, &c.

† Vide exempla ad finem.

Causa Prædisponens multis in exemplis manifeste intemperantia est; quoniam morbus plerumque in iis, qui multum potionum ardentium sibi indulgere solent, se ostendit. De hac re autem aliquid varietatis esse, ignorari non oportet; quoniam (ut familiaris meus Dr STROUD mihi dixit), in illo habitu corporis, qui Nervosus vocatur, hoc vitium aliquando accedit; idque ubi parum aut nihil ebriositatis fuit: quin etiam narrantur exempla, in quibus post magnum usum opii occurrit.

Causæ Excitantes ex scriptoribus de hoc morbo non manifestæ videntur; neque quidem de hac re multum dicendum est. In exemplis autem quæ vidi, aliquis animi affectus deprimens morbum protinus antecessit; ita ut ex illius actione, in habitum corporis prius depravatum, oriri visus sit. Mutatio subita in modo vivendi alia causa esse videtur, quæ revera fortasse effectum deprimentem in animum talis hominis efficere potest. Et profecto, morbus ipse in illo proprio affectu animi qui Hypochondriacus vocatur, cum tremoribus ebriositatis conjuncto, consistere videtur; ita ut indicia ejus causis satis bene explicentur.

Ac Causæ Remotæ quidem hæ sunt; nunc ad Causam Proximam veniendum est. Atque hic quidem difficultas major est. Satis autem superque evidens esse videtur, Delirium Tremens, morbum depressionis potius quam excitationis esse, ubi indicia causæque ejus bene siderentur. Atque ita congestio illa effusioque serosa, quæ post mortem notatæ sunt, meo quidem judicio, causa proxima totius seriei indiciorum nullo modo haberi possunt; et quamvis, ea indicia quæ protinus ante mortem se ostendunt, manifeste ex congestionem aut effusione oriuntur; hæc tamen alias mutationes sequuntur, quibus nomen causæ proximæ magis pertinet. Quæ autem hæc mutatio sit, ego quidem dicere non possum; quoniam de hac re vix ulla nota est ad sententiam veram formandam; ac revera judicare licet, mutationes structuræ quæ oriuntur ita tenues esse, ut oculis vix observari possint. Non difficile esset conjecturas de hac re formare; cum vero conjecturæ solæ vix ullam utilitatem habeant, illud solum addendum est, quod, uti ego arbitror, morbus maxima ex parte consistit, in actione cerebri nervorumque adaucta atque irregulari, cum conditione

cordis vasorumque imbecilla et irritabili conjuncta.

DE DIGNOSCENDI RATIONE.

DELIRIUM Tremens maxime repræsentat Phrenesin, Febremque Continuam et Insaniam, atque ita licet suspicari eum cum his singulis olim confundi solitum fuisse.

A Phrenesi autem, ut mihi videtur, facile dignosci potest; conditione pulsus cutisque, et quia intolerantia lucis sonique semper in Phrenesi, nunquam vero in Delirio Tremente, urget. Morbo procedente quoque, delirium, maximaque ex parte tremores, naturam ejus satis ostendunt. Atque adeo, ab his tremoribus in plerisque exemplis, morbus ab omnibus aliis discerni potest; quoniam, etsi tremor a quibusdam auctoribus, inter indicia Phrenesis enumeratur, idemque dicitur vix non lethalis esse, tamen licet suspicari hoc ex confusione inter hos duos morbos accidisse.

A Febre autem Continua protinus ab initio magis difficulter discernitur; ac quidem donec deli-

rium se ostendit, in multis exemplis nihil, nisi prior modus vivendi, suspicionem excitat. Simul atque vero hæc suspicio nota est; considerare debemus ea indicia, quæ caput maxime afficiunt, cum conditione cutis pulsusque comparata, et insuper pervigilium; ex quibus fortasse, antequam delirium se ostendit, non raro morbus discerni potest.

Quod vero ad Insaniam pertinet, in hac vires corporis magis adaugentur quam franguntur, uti in Delirio Tremente evenit; atque adeo prior morbus tum, cum febris accidit, plus minusve ad similitudinem Phrenesis est. Sic pupillæ contrahuntur; intolerantia lucis plus minusve urget; oculi quasi inflammantur; pulsus durus vel plenus et quasi saltans est; ac siquid tremoris accidit, motus est agitationis potius quam imbecillitatis, uti in Delirio Tremente fit. Quinetiam in Insania, æger sæpe tacet, et contumax esse videtur; id quod raro in altero morbo accidit, in quo quidem sæpe plane contrarii affectus se ostendunt. In Delirio Tremente quoque desideratur id artificium, quod in plerique Insaniis ita notabile est.

DE CURATIONE.

MODUS curandi in Delirio Tremente primum admotus illius generis fuit, quod apud nos *antiphlogistic* vocatur; atque hic quidem primo aspectu satis aptus esse videtur. Ostendit vero experientia, hunc modum prorsus inutilem esse, ita ut homo, qui hoc morbo affectus est atque ita curatur, raro aut nunquam ad sanitatem redeat. Quidam medici igitur, et inter hos SUTTON*, aliam curationem aliaque remedia, idque cum effectibus optimis, adhibuerunt. Itaque nunc dicendum est, in quibus rebus hæc curatio maxima ex parte consistat, et quomodo ad varias conditiones morbi et ægri ipsius pertineat. Hoc vero optime faciendum puto, singula remedia, conditionesque corporis in quibus maxime valeant, per se considerando.

* SUTTON on Delirium Tremens, &c. Notari debet autem multos medicos ante SUTTON Opium commode adhibuisse.

Igitur sanguinis detractio, etsi quibusdam morbi indiciis satis apta esse judicari potest; tamen, ut satis superque novimus, in plerisque exemplis admodum perniciosa fuit; ideoque illæ contemplationes, quæ ex ratione solum derivantur experientiæ necessario cedent. Neque quidem prorsus sapientis est ex toto rejicere; ad quædam horum indicia ex effectibus propriis eorum, summa cura adhibenda est. Igitur cum Cl. ARMS. sentio, aliqua depletione interdum opus esse; ita tamen, ut in usu ejus cura quam maxima danda sit, præsertim in iis, qui sive ætate, sive morbo, sive aliis causis, infirmiores sunt. In juvenibus autem temperamenti sanguinei, quorumque habitus corporis ebriositate non multum vitiatus fuit, si dolores vel in pectore, vel in epigastrio urgent; si pulsus aliquo modo aut durus, aut plenus, aut validus est; si spiritus anxius, vel difficilis, aliæque notæ inflammationis graves sunt; sanguis caute mittendus est: potius vero hirudinibus, vel cucurbitulis cum ferro, quam e venis, aut ex arteriis; et ideo solum ut actionem localem impediat.

Vesicatoria, ex irritatione quam excitant, plerumque aliena esse videntur.

Remediis purgantibus autem ad laxandam solum alvum uti licet, ita ut nulla irritatio, sanguinisve inordinatus cursus, ex materiis in intestinis oriri possit. Ad hoc consilium igitur faciendum, alvus protinus in morbi moveri debet, quod plerumque Oleo aliove medicamento laxante, satis bene. Postea ducere alvum, quam movere, citare, fortasse melius erit; præsertim in iis qui imbecilliores sunt.

At curatio hujus morbi in usu idoneo Opii maxima ex parte consistit, ita ut omnia alia remedia quasi auxilia sola nunc adhibere soleant. Opium igitur vel concretum, vel in Alcohole solutum, vel (id quod fortasse optimum est), forma Liquoris Opii Sedativi, adhibere licet. Copia autem qua datur plurimum a vehementia signorum, et ætate, et sexu, et constitutione ægri, et diuturnitate morbi, et ratione vivendi, multum pendet. In plerisque autem exemplis, Opii concreti gr. ij. vel ea portio Tincturæ ejus aut Liquoris Sedativi quæ his respondet, adhiberi potest;

postea gr. iss. quarta vel sexta quaque hora, vel etiam sæpius, usque ad somnum, dare licet. Interdum quidem copia Opii multo major quam hic dixi esse potest, plerumque vero hæc ad morbum tollendum sufficit. Illud autem ignorari non oportet, Opium aliquando delirium febremque et fere omnia indicia augere, donec somnus efficitur, quo post certum spatium, æger maxima ex parte reficitur, et absque delirio tandem expergiscitur. Itaque etsi morbus augetur, non modo tamen non intermittendum est Opium, verum etiam magis assidue admovendum est. Sæpe vero, postquam effectus Opii desierint, actio vitiosa iterum excitatur, iterumque opus est Opio, quo plerumque iterum morbus discutitur. Opium Calomelani commixtum ab ARMSTRONG præcipitur multumque laudatur. Omnes autem effectus hujus mixturæ ex Opio solum oriri mihi videntur; quoniam pariter bene, citoque, et jucunde sine Calomelane morbus tollitur.

Ex remediis excitantibus, illa solum adhiberi debent, quæ ægro irritamentum usitatum præbent; neque ullo modo ventriculum afficiunt; scilicet, cerevisia valida, vinumque, et alcohol.

Ex his autem duo posteriora meliora sunt, alterutrumque dari potest. Maxima ex parte autem, ab iis qui potionibus ardentibus multum usi sunt, mera requiruntur; atque hic quidem caute adhibenda sunt, neque nisi aqua commixta. Camphora etiam, cum multis aliis remediis ex hoc ordine, adhibita est, et, ut dicitur, commode.

Perfundere corpus aqua frigida, secundum ARMSTRONG remedium utilissimum est*. Cum vero usum ejus nunquam viderim, sententiam de hac re dare non possum.

Victus ratio autem levis esse debet, quoniam functiones ventriculi multum perturbantur. Quod ad animum pertinet, omnia quæ irritant, quantum, fieri potest, fugienda sunt; ægerque in maxima quiete servandus est. Sic in conclave neque nimium neque parum lucis admittendum est, atque strepitus sonique omnium generum evitandi sunt; non quod intolerantia ulla soni sit, sed quod soni non recte animo percipiantur, falsasque impressiones excitent.

* ARMSTRONG on Typhus, &c.

DE PRÆSAGIO.

FORMANDUM est Præsagium ex remediorum effectibus, causarum vehementia, gravitate diurnitateque morbi, prioribus modis vivendi, ægri corporis habitu, iisque similibus. Igitur, si constitutio non multum frangitur; si consuetudines intemperantiæ non diu perstiterint, si delirium aliaque indicia, præsertim inquietudo non augeantur; si morbus recens sit; et præter omnia, si somnus protinus in initio obtinere possit, æger ad sanitatem maxima ex parte pervenit. Sin vero contra, ægri constitutio multum corrumpitur; si ebriositas longa fuerit; si delirium vehementissimum sit, inquietudoque et agitationes perpetuæ; si aliqua indicia soporis aut convulsionum urgeant; si remedia post certum spatium tranquillitatem non obtineant, perniciosum et vix non lethale malum erit.

EXEMPLA.

A. S. Fœmina, æt. 30. In Valetudinarium nostrum die 10^{mo} mensis Januarii 1822 accepta est, cum doloribus gravibus capitis pectorisque, sudoribus post horrores, aliisque febris indiciiis. Pulsus 88 et mollis fuit; cutis mollis humidaque; facies rubra et sudoribus contecta. Hæc signa per octo dies perstiterant, atque plus minusve urgebant, maximaque ex parte remediis laxantibus ad diem 12 Jan. curata sunt. Tunc demum repertum est, morbum a delirio inquietudineque protinus post ebrietatem incepisse. Postea, Tinctura Opii in portionibus dimidiæ drachmæ, nocte maneque, cum variis remediis laxantibus, per biduum adhibita fuit. Die 14 Jan. Tincturæ Opii ʒ ij. datæ sunt, quos fere protinus secutum est delirium vehementissimum, quod plus minusve per noctem perstitit. Per hoc spatium Tinctura Opii iterum vespere adhibita est, postridieque mane semel atque iterum, cum brevi tempore, paulum dormivit, (id quod non antea

fecera tpost introitum in Valetudinarium), postea-
que quieta, delirio autem persistente, fuit. Pro-
tinus post meridiem hujus diei, (scilicet 15 Jan.)
Opii gr. ij. devoravit; quæ iterum tertioque ad-
hibita sunt, scilicet horis quinta decimaque ves-
pertinis. Nocte sequenti bene dormivit; pos-
tridie absque delirio meliusque se habuit; mor-
busque Opio remediisque laxantibus assidue ad-
motis, gradatim, quamvis tarde, tandem decessit.

R. W. Tabernarius, æt. 29. Mense Maiæ 1822
morbo primum vexatus est. Potionibus ardentibus
diu multumque usus erat. Die primo morbi, re-
bus adversis animus affectus est, malumque fere
protinus accessit, incipiens a delirio. Ab illo
tempore nullum aut vinum aut alcohol bibit; ne-
que dormivit. Die secundo Oleum Ricini sump-
sit; tertio, in Valetudinarium intravit. Tremores
per totum corpus, in membris ad subsultum ten-
dinum spectantes, urgebant. Facies tumida ru-
braque fuit; oculi suffusi, pupillæ luce secundum
naturam affectæ sunt; dixit autem oculum dex-
trum, luce admota, paulum dolere. Dolores in
tempore dextro, subterque mamillam dextram, et

in abdomine, fuerunt. His accesserunt, pulsus 132 undulans, cutis humida, sitis, aliaque indicia febris. Attentio facile excitata est, et satis bene aliquamdiu perstitit; memoria aliquatenus defecit; de infortuniis suis autem multum locutus est. Aliquando imagines falsas se videre credidit. Hora quinta vespertina Opii gr. iss. devoravit, atque post horam tantundem, iterumque post horas duas. Postea Tincturæ Opii ʒj. altera quaque hora, usque ad secundam portionem, habuit. Per hoc spatium vero indicia gradatim adaucta sunt. Spiritus cum sono et singultu effectus est; animus defecit; membra frixerunt, pulsusque vix sentiri potuit. Hora prima matutina homo mortuus est. Sectio Corporis venas protinus subter cutem humerorum cervicisque tumidas esse ostendit. Pericranio inciso, sanguis ex ore naribusque effusus est. Vasa, præsertim venæ Duræ Matris, admodum tumida fuerunt. In Pia Matre etiam, venæ ex toto, atque adeo in quibusdam partibus arteriæ quoque, sanguine distentæ sunt. Effusio serosa subter Tunicam Arachnoideam et in ventriculis reperta est. Venæ cerebri ipsius Plexusque Choroidis, etiam multum

ampliatae fuerunt. In pectoris multis partibus membranæ inter se conjunctæ sunt; effusionesque et serosæ et sanguineæ in pulmonem ipsum notatæ fuerunt. Sanguis vix in ulla parte corporis cruorem formavit. Jecur aliaque viscera abdominalia sana esse visa sunt.

W. L. æt. 28. In Valetudinarium mense Junii anni 1822 acceptus est. Per ultimum triennium fere singulis noctibus ebrius decubuerat, tremoresque manuum constantes, nisi tum cum ebrius fuit, habuit. Delirium proprium hujus morbi bene se ostendit, homoque multos sorices aliasque res injucundas circa lectum esse credidit. Fere semper de infortuniis suis locutus est, et aliquando ex adstantibus de curru suo habenisque, quæ se amisisse putavit, plurima quæsivit. Tremores maximi assiduique urgebant; atque quidem omnia indicia morbi admodum propria fuerunt. Horum omnium curiosa enumeratio nimis longa esset, itaque præcipua sola narravi. Curatio eadem pene atque in prioribus exemplis fuit, nisi quod plus Opii ex majore vi morbi hic adhibitum est; et revera cum ef-

fectibus satis prosperis pro tempore. Homo autem exulcerationem in brachiis habuit, quæ contra curationem fuit, tandemque humoris absorptione interemptus est. Sectio Corporis ostendit effusionem serosam subter Tunicam Arachnoideam. In cerebro ipso puncta rubra, non autem præter naturam, fuerunt. Copia exigua humoris serosi in utroque ventriculo laterali, et etiam in tertio quartoque ventriculis, reperta est. Multum autem humoris in basi cerebri repertum est; Plexusque Choroides subalbidi fuerunt. Sinus laterales sanguine tumidi fuerunt. Jecur aliaque viscera satis integra visa sunt.

Hoc insequens exemplum ex operibus HIPPOCRATIS citatur. "Chærimonem qui decumbebat apud Demenetum, ex potu febris corripuit. Statim autem capitis gravitas dolorosa—non dormivit—alvus turbata ex tenuibus biliosis. Tertia die febris acuta; capitis tremor, maxime autem labii inferni—paulo post rigor; convulsiones; penitus mente motus est. Noctem moleste tulit. Quarta perquietem parum dormivit—parum deliravit. Quinta laboriose omnia exacerbata sunt—deliri-

um—noctem moleste tulit—non dormivit. Sexta per eadem. Septima superriguit—febris acuta—sudavit per totum—judicatus est. Huic perpetuo ab alvo secessus biliosi, pauci meri,—iis que similia, homo sanatus est.

FINIS.



